



# The Holy See

---

FRANCISCUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

***Haidudoroghensis Ritus Byzantini\****

IN HUNGARIA ECCLESIA METROPOLITANA Haidudoroghensis Ritus Byzantini  
ERIGITUR

De spiritali itinere nec non regimine Christifidelium Hungariae ritus Byzantini Nosmet Ipsi, Qui pergrave Successoris Petri munus exercemus, valde solliciti, aptiores etiam eis ecclesiasticas structuras instituere volumus. Auditis igitur Venerabili Fratre Nostro Cardinale Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus ceterisque quorum interest, summa Apostolica potestate Eparchiam Haidudoroghensem ad gradum Ecclesiae Metropolitanae Haidudoroghensis ritus Byzantini appellandae evehimus, cum sede principe in urbe Debrecensi, propriis cum iuribus et obligationibus. Eius suffraganeae deinceps erunt Eparchiae Nyiregyhazana et Miskolcensis hoc ipso die constitutae. Haec omnia reliquaque secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium temperentur. Insuper de eodem absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad memoratam Congregationem mittantur. Quod autem hac Apostolica Constitutione fieri censuimus, perpetuo custodiri iubemus contrariis quibuslibet causis haudquaquam obstantibus. Futurum certe interea esse arbitramur ut haec Nostra sententia plurimos pariat salutare fructus posteris annis in apostolatu cotidiano et totius gregis illius flore conspicuo.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Martii, in sollemnitate S. Ioseph, Sponsi Beatae Mariae Virginis anno Domini bismillesimo decimo quinto, Pontificatus Nostri tertio.*

*De mandato Summi Pontificis*  
Petrus card. Parolin  
*Secretarius Status*

\*AAS, vol. CVII (2015), n. 6, p. 504.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana